

annos plurimos egregie exornasse. Varia ejus opera allegatus bibliographus etiam recenset. Ad cathedram episcopalem Pacis Juliæ vel Augustæ (vulgo *Badajoz*) a Philippo IV, Hispaniarum rege, proventus est anno Christi 1644 (Nicolaus Antonius mox citandus signat proxime sequentem), prout ibidem invenies. Insignia denique elogia, quibus alii viri docti Manricum prosecuti sunt, habentur ante tommum primum Annalium ordinis Cisterciensis. De laudato auctore etiam tractat Nicolaus in Bibliotheca Hispana, ubi scribit eum in urbe Pacensi obiisse anno 1649. Hunc itaque virum Annales ordinis Cisterciensis nacti sunt auctorem.

720. Cæterum egregia documentorum supellectile Manricum fuisse instructum, antequam eosdem Annales conderet, abunde liquet e præfatione ejus, tomo primo istius Operis præfixa, ubi hæc memorat num. 4: « Aduerunt... quatuor bibliothecæ, queis referatissimis Salmantica illustratur, domestica Cisterciensis collegii, nulli inferior, Ludovici Bernardi de Quiros, sacræ olim Bibliæ primarii professoris conquisita industria. Nec minus nobis perviæ, beneficio suorum, tres externæ: altera ex regali collegio Societatis Jesu; duo ex his, quæ Majora vulgo appellant, Sant-Bartholomæano nimirum, et Ovetensi. Atque hæc ultima (magni quondam viri Didaci Covarruvias gloriosa cura) fere præ cunctis aliis in usu fuit. Cætera supplere mss. undecunque quæsitæ ex Gallia, Italia, Belgio, Germaniaque, et quæ reliquit Ignatius Firminus Iberus, Fiteriensis abbas, ipsa autographa: quin per triennium patens Vaticanum insignis eruditionis viro Leandro Vadillo, ad hoc transmissio Romam, cum primum hos Annales meditaremur. »

721. Quandoquidem autem prima genuini historici dos est veritas; hanc se unice præ oculis habuisse, gravissimis verbis, quin imo interposito etiam ad firmiorem rei confirmationem sacramento, testatum reliquit loco citato num. 8. « Non dubitamus, inquit, a nobis multa ommissa: quis cuncta colligat? multa aliter narrata, quam evenerint. Quis in tam varia rerum multitudine non quandoque cæcutiat, aut dormitet? Illud asseveramus cum sacramento, nihil a nobis scienter immutatum; nihil consulto auctum, detractumve, quod facere ad historiam putaremus. Sed neque nostris quidquam attributum, quod alienum censeamus, veræ quam falsæ gloriæ appetentiores. Non sumus hi, qui aliorum dispendio quæramus laudem: non indiget Cistercium furtivis bonis. » Hæc illustrissimus Manricus, candide professus, se, si non semper et ubique veritatem fuerit assecutus, semper tamen et ubique eam fuisse secutum in suo opere, cujus gratia hæc a nobis indicata sunt.

722. Et vero quemadmodum sese veritatis tenacissimum esse testatur, sic etiam correctionis, sicubi a veritate aberravit, cupidissimum non obscure scribit, loco mox citato concludens suam Præfationem in hæc verba: « Utinam sint, qui cor-

rigant, qui deleant! Utinam et qui addant, ostendantque quam parum fecerimus, dum, quæ non fecimus, plura in lucem edant. Bernardus Pares volumen cum cultello Matthæo cardinali legato misit *quatenus imposturam, quam avulsione dignam judicaret, proprio ipsius auctoris gladio succideret*: nostros Annales cum cultello et calamo vellemus eruditis cunctis transmittere, succidendis, quæ irreperunt per errorem, sed non minus addendis, quæ desunt per ignorantiam: quod ob utinam Deus multis inspiret! »

723. Jam vero quandoquidem creberrime superius usi sumus libro, qui inscribitur *Exordium magnum ordinis Cisterciensis*, quod in distinctiones et capitula dispersitum exstat apud F. Bertrandum Tissier, doctorem theologum Bonifontis in Therasia ejusdem ordinis priorem, in Bibliotheca Patrum Cisterciensium pag. 13 et sequentibus; videtur instituti nostri ratio exigere, ut Operis istius notitia lectorem imbuamus, iis usuri, quæ dictus Tissierius ad illud præfatur. Ac de titulo quidem monet ista: *In codice manuscripto canobii Fusniacensis, quotor, habetur hic titulus: Incipit narratio de initio Cisterciensis ordinis; qualiter Patres nostri de Molismensi canobio propter puritatem Ordinis secundum tenorem regulæ sancti Benedicti recuperandam, egressi, secundam Cisterciensem ecclesiam fundaverunt, quæ est mater omnium nostrum: quoniam ex ipsa tanquam de fonte purissimo rivuli cunctarum ecclesiarum Ordinis nostri derivati sunt: et de nonnullis reverendis, atque in omni religione conspicuis personis, quæ in Cistercio et Claravalle claruerunt.* Quia tamen hic liber *Exordium* magnum ordinis Cisterciensis solet appellari, sicut et præcedens (ibidem a pag. 1.) ex opposito *Parvum exordium*; idcirco titulum prædictum præelegi.

724. De auctore autem sic pergit: « Hujus Magni Exordii auctorem ignorari, ait Angelus Manricus in Annalibus: verum Fusniacensis codex hæc habet verba: *Istum librum composuit quidam abbas, Conradus nomine, Everbacensis canobii, qui fuit monachus Clarævallensis.* Et monasticen quidem in Claravalle se professum, non obscure indicat in fine hujus operis; ubi temporibus B. Petri et D. Garnerii, postea Lingonensis episcopi, quorum ille octavus, hic nonus Claravallensis abbas exstitit, se Claravalle disciplinis claustralibus eruditum fuisse asserit, videlicet circa annum 1180. Est autem Everbac, cui Conradus iste dicitur præfuisse, monasterium de linea Clarævallensis in Moguntina diocesi: cujus ipse auctor summa cum laude meminit in distinctione 5, cap. 17, et alibi: ubi tamen non indicat ejusdem loci se abbatem esse. Sed quisquis sit libri auctor, hunc lectu dignissimum, et utilissimum in Bibliothecæ Patrum nostrorum capite locandum judicavi. »

725. Opus porro istud laudat etiam Horstius in Introductione ad Opera S. Bernardi pag. 70, hæc præmittens libro septimo Vitæ S. Bernardi, quem

e laudato *Exordio* typis edidit: « Hunc, inquit, librum verbotenus decerpimus *ex libro Virorum illustrium ord. Cisterc.* quem quidem ms. Confluentiæ accepimus e collegio Soc. Jesu. Aliud ejusdem exemplar e carthusia Wesaliensi PP. Carthusiani Colonienses nobis curarunt. Sed et tertium Pater N. Societ. Jesu, Embricæ propria manu descriptum exhibuit: qui et variarum lectionum notas adjeceerat: cujus industria magno nobis subsidio fuit. Porro de eo libro lector monendus, ne forte fallatur, dum hosce titulos alicubi legit, *Exordium ord. Cisterciensis; liber de Viris illustribus ord. Cisterc.; item. lib. de Initio. ord. Cisterc.* quos Henriquez tanquam diversos libros non raro allegat, cum unus idemque sit (etsi alibi aliam forte sortitus epigraphen, uti facile deprehendet, dum quæ ille, quasi ex diversis affert, in uno *de Viris illustribus Cisterc.* (nam hunc solum titulum tria, quæ ego vidi, mss. præferunt) reperies. Id te monitum volui confusionis vitandæ causa, cui occasionem præbuit dictus auctor eo magis quod *Exordium* in libros; illum vero *de Viris illustribus*, in distinctiones dispersiat. Sed ejusdem nihilominus scriptoris de hoc libro censuram audiamus:

726. *Omnium nostri Ordinis historiarum (inquit) quasi lapis fundamenti, et scriptum maxime authenticum est liber ille, quem Exordium ord. Cisterc. nominamus.* Et paulo post: « *Quantum ad me, inquit, quotiescunque hunc librum evolvo, non possum satis pietatem, styli gravitatem, sententiarum pondus, et mirandos eventus, qui ibidem referuntur, non mirari: idque ausim dicere, hunc in suo genere esse ex majoribus et pretiosioribus thesauris, quo gaudet Ecclesia, talemque a fidelibus habendum.* Ita Henric. Appar. ad Menol. Cist. cap. 4, cui et ego libens assentior; dignum scilicet esse librum, qui totus edatur in lucem.

127. « Quod etiam Aubertum Miræum bene de Historia monastica meritum optasse video. Miror e Cisterciensi familia neminem hoc sibi operis sumere. Ego ipse admoverem manum, nisi vererer in messem alienam mittere falcem. Porro auctor hujus libri vicinus fuit temporibus S. Bernardi; nam his cum familiariter egit, qui simul cum Bernardo vixerunt: et ex eorum ore fere refert quæ hic narratur: ut videas, qua fide et auctoritate nitantur. » Hæc ille. Porro doctorum istorum virorum desiderio factum est satis, quando opus illud edidit Tissierius. Specimina vero, quæ ejusdem operis meritum commendant, suggerit noster Commentarius prævius. Mabillonius librum septimum Vitæ sancti Bernardi ex eodem *Exordio* excerptum, post Horstium etiam vulgavit volumine II, col. 1195 et sequentibus; quod indicio est, ei etiam in pretio fuisse illud opus. Additis autem hoc accrevisse, habemus ex Manrico, qui illa allegat, ut videre licet in Commentario nostro prævio, § 50 in fine; § 51, num. 547; § 52, num. 535. Postremo, sive *Exordii* auctor collegerit vel scripserit ipsemet, quæ se vivente

accidere; sive alia postmodum accesserint; nos et *Exordium* ipsum, et ejusdem auctorem in commentario prævio itentidem citavimus.

§ LXVI. *Quænam Vitæ, et cur a nobis non recusæ; alia quædam præterita.*

728. Libros sex de Vita ac rebus gestis S. Bernardi, qui jam pridem excussi exstant apud Horstium ac Mabillonium recudemus ac illustrabimus, sicut supra indicatum est. Vitis hisce adjiciemus cum Mabillonio Fragmenta, non tamen omnia, ex Herberti libris de miraculis Cisterciensium monachorum: non vero librum septimum de Vita ejusdem sancti, qui excerptus ex libro, cui titulus *Exordium magnum Cisterciense*, distinctione secunda, notatur in editione Mabilloniana; de Horstiana autem consule quæ præmissi, § 65, num. 725. Ratio, cur libros istos a nostra editione secludamus, est, quia ex eisdem libavimus, et huic Commentario intexuimus varia facta, quæ in illis ibidem de sancto Patre referuntur. Si quæ tamen notabilia supersint, poterit illorum etiam haberi ratio in Gloria posthuma. Nec vero Vita ab auctore seu compilatore Alano, quondam episcopo Autisiodorensi conscripta, quæ est apud Mabillonium, iteratis typis exhibebitur.

729. Etenim biographus ille « ex quinque prioribus libris præmissis continuam rerum a Bernardo gestarum seriem contexuit, et adhibitis quidem propriis auctorum verbis: quos ad temporum ordinem utcumque reduxit; » uti observabat Mabillonius, § 64, a me citatus; ad hæc, sancti doctoris testamentum, ab aliis scriptoribus omissum, primum commemorat, sicut ibidem est dictum: verum cum ordini temporis, præeunte Manrico, prospexerimus in Commentario nostro prævio et Chronologiam Bernardinam in eodem dederimus; cumque biographos priores, e quibus suam Vitam compilavit ac contraxit Alanus, producturi simus; quid opus est illam denuo typis committere, et tam grandem aliunde rerum S. Bernardi molem sine necessitate augere?

730. Sed audiatur Alanus ipse in Prologo ad eandem Vitam: Nos, inquit, ex eadem plurium, qui jam tum Acta viri sancti, et miracula conscripserant, auctorum narratione nonnulla omittentes, et apponentes perpauca, breviori perstringimus scheda. Quod modo dicebat Mabillonius de testamento, quod... primus ipse commemorat; videtur pertinere ad tria illa monita, quæ Pater sanctus filiis suis imitanda reliquit jam morti proximus; de quibus Alanus, cap. 30, quæque nos supra ex eo dedimus, § 50. Post istam Vitam subjungit Mabillonius Fragmenta ex tertia Vita S. Bernardi, auctore, ut videtur, Gaufrido monacho Clarævallensi, capitibus octo comprehensa. Consule dicta, § 64. Fragmenta ista non semel nobis usui fuere in Commentario prævio, et forte erunt postea, si quæ restant digna notatu. His ibidem proxima datur Vita quarta... duobus libris scripta a Joanne eremita.

Quæ ad istum biographum attinent, habes mox indicato, § 64, cujus Vita bis jam recusa supersedendum nobis duximus; cum persuasum habeamus, biographos primigenios abunde suffecturos tum lectorum utilitati, tum sancti gloriæ, tum denique muneris nostro. Quod si nonnulla referat singularia, quæ novisse lectoris intersit, poterit etiam eorum haberi ratio.

731. Idem, quem modo nominabam, Vitarum S. Bernardi editor, col. 1292, profert Prætermissa apud Chiffletium ex Gaufrido superius, inquit, col. 1278, post articulum 10, et postea reperta: quæ excipit carmen panegyricum Philothei monachi de Vita et moribus ejusdem sancti, quem inter scriptores ordinis Cisterciensis ponit Carolus de Visch in sua Bibliotheca. Carmen illud etiam exstat in editione Horstiana. Adde duo alia de laudibus sancti Patris; alterum, cui auctor prænotatur Nicolaus Haqueville, sacri senatus Parisiensis præses æquissimus; alterum Baptistæ Mantuani ex VIII Fastorum. Sed facile patimur abesse ab editione nostra rivulos hosce poeticos, ubi genuinis antiquissimorum biographorum fontibus abundamus. Meminisse interim

(Sequuntur variae de vita S. Bernardi lucubrationes quæ exstant supra.)

GLORIA POSTHUMA

AC SUPPLEMENTUM

AD S. BERNARDI VITAM ET MIRACULA, NEC NON AD NOSTRUM COMMENTARIUM PRÆVIUM.

CAPUT PRIMUM.

Veneratio publica; monasteriorum propagatio; recentissimæ notitiæ de sancti sepulchro ac reliquiis. Umbra ejus, et alia sacra lipsana.

1. Quæ in Commentario prævio § 62, dicta sunt de officio S. Bernardi, ac de veneratione publica ipsi tributa, hisce suppleri possunt. Inter *Statuta selecta capitulorum generalium ordinis Cisterciensis*, quæ ex variis codicibus manuscriptis habentur apud Martenium in Thesaurò novo Anecdotorum tom. IV lego ista annu 1321, col. 1506, num. 3: *Item cum ad mutuum charitatis gratitudinem ex debito professionis monasticæ teneamur, servitium pro sancto Hugone, primo abbate Cluniacensi, eo quod in dicta domo et suo ordine universo sancti Bernardi Patris*

nostri solemne servitium celebratur; in hunc modum salubriter statuit generale capitulum, etc. Unde liquet, Officium de S. Bernardo tunc celebratum fuisse apud Cluniacenses omnes ritu solemnem. Ad venerationem publicam etiam spectat, quod viri sancti patrocinium imploratum fuerit contra morbum contagiosum. Etenim post Vitam et miracula S. Adriani, luis pestiferæ patroni peculiaris, quæ, auctore P. Guilielmo Hardigny e Societate Jesu, anno 1636 Luxemburgi Gallice sunt impressa, una cum parvis aliquot tractatibus aliis, pag. 260. S. Bernardum adnume-

rat coelitibus aliis, qui morbo isti sunt propitii, et addit, anno 1625 opem viri contra eum imploratam fuisse Liræ, prope Antuerpiam, in sacello ejus. Imo forte in æde sacra monialium Cisterciensium B. Mariæ de Nazareth, extra muros Liranos: ubi frequens et utilis, ut audio, ad sanctum quotannis est concursus die 30 Augusti, et per octavam.

2. Superius parte tertia miraculorum, cap. 7, num. 343, referuntur ea quæ Rutilæ patrata sunt. Locus autem iste scriptoris ex grata Rutilensium memoria commendatur, qui magnum Sospitorem singulari cultu prosecuti sunt, teste Raissio in Auctario ad natales sanctorum Belgii Joannis Molani, ad diem 20 Augusti, fol. 170, ubi hæc scribit: *Hunc etiam locum, Rutilensem scilicet vicum miraculis illustravit, quando tres mulieres claudas, et duos cæcos restituit sanitati. In cujus rei perpetuam memoriam, imago sancto Bernardo erecta est in ipsa ecclesia, quam vidi: fuitque ad eam annuæ processiones feria sexta post Pentecosten, quando illa miracula facta ibidem fuisse, ex veteri traditione, devotus populus arbitratur. Hæc autem mihi ibidem exsistenti, monasterii dicti prior, Petrus Haymam communicavit.*

3. Joannes Cognatus, vulgo *Cousin*, libro III Historiæ Tornacensis, cap. 50, affirmat, S. Bernardo obstrictos admodum esse Tornacenses, ac jure merito eum tanquam patronum et protectorem episcopatus Tornacensis haberi ab ipsis posse, propterea quod ejus apud Eugenium papam auctoritate interposita obtinuerint antistitem particularem, cum antea subessent episcopo Noviomensi; atque hæc de causa viri effigiem in vitro fenestræ ad latus septentrionale, in circuitu chori ecclesiæ cathedralis, depictam esse supra historiam itidem in pictura representatam restaurati episcopatus. Favor autem ille novi ac proprii episcopi Tornacensibus concessi, suffragante Bernardo, contigit sicut testatur Albericus in Chronico ad annum 1148. *Apud civitatem, inquit, Tornacum, cum per quadringentos annos circiter fuit ista civitas sub episcopis Noviomensibus, tandem sancto mediante Bernardo, positus est per Eugenium papam novus episcopus, et recepit ecclesia privilegium antiquum. Primus episcopus dictus est Anselmus, secundus Geraldus, tertius Galterus.* Favor autem ille, quem Albericus supra citatus narrabat ad an. 1148, contigit anno 1146, uti constat ex ipsa bulla Eugenii papæ III, quæ refertur in tomo II editionis novæ Diplomatum Miræi, pag. 1167, domino de Castillon in sua Chronologia sacra Belgii, pag. 405, asserente authenticam habere se copiam hujus bullæ anno 1146, datæ secundum notationem amplissimi ac eruditissimi domini censoris hujus tomi. Nec vero religiosum S. Bernardi cultum apud cænobitas Aquicinctinos, in Gallo-Belgica prope Duacum, indictum relinquam, quando ipsius reliquiæ eo delatæ sunt ab istius monasterii abbate. Quippe Ferreolus Locrius in Chronico Belgico ad annum 1179, e Chronico Aquicinctino hæc narrat: *Anno 1179 Simon, nonus Aquicinctini monasterii antistes, in re-*

ditu ex concilio Romano, Clarevallem divertit, et reliquias beati Bernardi ab ejusdem cænobii abbate, precibus impetrat: quas Aquicinctum delatas, magnis honoribus affectit. In Gallia Christiana, tomo III editionis novissimæ, col. 412, res etiam narratur sub Simone I, abbate nono Aquicinctino. Adde ex Manrico, quod Paulus abbas Palaciolensis in Castella veteri Hispaniæ, singulare aliquid in honorem sancti excogitarit, quando præscripsit, *ut in confessione, quæ in missarum initio proferri solet, sanctus Bernardus Parens post B. Virginem immediate invocaretur: Confiteor Deo, beatæ Mariæ, et Beato Bernardo.* Hæc e dicti historici Cisterciensis libavimus appendice ad tomm IV Annalium Cisterciensium pag. 629, et habentur inter alia quæ intextuntur anno 1550.

4. Sancti nostri gloria maxime inclaruit apud posteros ex mirifica sobolis suæ Clarævallensis propagatione, de qua re scribit Guillelmus libro I Vitæ apud nos supra cap. 7, et quamvis in meis ad illud adnotatis hoc argumentum singillatim non tractare statueram, sequentia tamen ad illum biographi locum illustrandum subjungere hoc loco visum est. Apud Gaufridum libro v, Vitæ, cap. 2, num. 262, dicitur *Clarævallensis cænobii primus abbas aliorum quoque amplius quam centum sexaginta monasteriorum pater.* Quod sic est intelligendum, ut magnam tot fundatorum monasteriorum partem sanctus Pater non immediate per se, sed per suam sobolem excitarit; ita tamen, ut, quod filii ejus fecerunt per se, Bernardus Pater in filiis fecisse merito dici possit, atque adeo felix ac secunda illa propagatio ad gloriam ipsius Sancti posthumam pertineat; observante Mabillonio ad locum Gaufridi, quem proxime indicabam, *nempe tam per se, quam per abbatias Clarævalli subjectas abbatem sanctum fundasse ista monasteria. Nam Bernardus, ait, per se tantum septuaginta duo circiter monasteria excitavit vel adoptavit; nempe in Gallia 35, in Hispania 11, in Belgio 6, in Anglia 5, totidem in Sabaudia, et in Hibernia; in Italia 4, in Germania duo; duo item in Suecia, ac demum unum et alterum in Hungaria et Dania, ex Chronologia nostra: quam lector etiam inveniet in nostro Commentario prævio § 59. Innocentius itaque papa III, in litteris apostolicis ad ecclesiam Gallicanam, quas Commentario nostro prævio intextimus § 60, hanc singularem viri prærogativam inter alias merito suspicit, quando illum laudat, quod usque ad exteras quoque et barbaras nationes sanctæ religionis instituta transmiserit, atque monasteriorum foundationem extenderit.*

5. Alter vero Christi in terris vicarius Gregorius IX insigne ad perpetuam viri sancti memoriam in simili materia adjunxit decus, dum in bulla, qua S. Dominicum, ordinis, FF. Prædicatorum fundatorem sanctorum fastis ascripsit, hæc de S. Bernardo: *Post quos, (primos videlicet novæ legis prædicatores, ac S. Benedicti filios, de quibus egerat), Christus Dominus quasi lassum renovaturus exercitum, et redditurus jubileum post lamentum, applicitis ad*